Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1135

Quelle:
Copyright:



*cleros grece latine ſors aut hereditas dei* &c. Sub finem inepte praetenditur *Chriſtus* omnes gradus eccleſiaſticos pervaſiſſe.

Anterius *Codicem* ambiunt Folia *duo* membranea antiquiſſimi *Pſalterii*, quod integrum multos *Ivones* valeret; ſcriptum eſt enim charactere quadrato, nullo paene vocum diſcrimine. Quod ſupereſt, *Pſalmum* LXX. a v. 13. LXXI. integrum, et LXXII. usque ad v. 16. exhibet, non nulla a Vulgata differentia. Membrana poſtica manu Sec. XII. finem unius, et initium alterius *Homiliae* continet, quod eſt: *Diuina Scriptura fratres kariſſimi nos admonet aliquando ad lacrimas aliquando ad gaudium* &c.

## CCXCVI. VIII. F. 13.

469 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 151. 4. probe exaratus, rubricisque diſtinctus complectitur, ſiquidem *Indicem* praefixum audias, *Epiſtolas Petri Bleſenſis* numero CXXXV. itaque duabus pauciores, quam *Cod.* ſeq. indicavimus; ſed ſi opus ipſum inſpicias, deprehenditur *Epiſtola I. ad Henricum II. Anglorum Regem*, quae vicem *Praefationis* obit, in cenſum *Indicis* non veniſſe. Habet porro *Index* hic illud commodi, quod praeter Titulos initia etiam ſingularum Epiſtolarum exhibeat. Procedunt eae aliquamdiu, prout in Edit. *Guſſanvillana Pariſ.* 1667. f. ſed ab *Epiſtola* 34. ordo diverſus eſt. Epiſtola *ad Clericum Negotiatorem* in Edit. XVII. p. 31. nobis vero XV. *fol.* 20. p. 2. idem hic habet in fine augmentum, quod *Cod.* ſeq. dedimus. Ita et Epiſtola in Edit. CXXXIV. p. 204. nobis autem LXVIII. *fol.* 80. prolixius Exordium, ut in *Cod.* memorato. Epiſtolarum nulla inedita eſt; eſt tamen, ſi comparationem inſtituas, non nulla lectionis variatio. Ita *Epiſt. I. ad Henr. II.* Edita: *cenſuram potius expectantes quam gratiam expetentes*, rectius Codex: *gratiam expectantes potius quam cenſuram.* Edit. *diffuſius et ſimplicius.* Cod. *diffuſius aut ſimplicius vel inconſultius. Epiſt. II. ad Eund.* Edita: *pueriliter intabeſcit.* Codex: *intabeſcitis.* Edit. *Exemplum vobis dedit, ut et vos ſequamini.* Cod. *nobis — nos ſequamur.* &c. Finem Codici imponunt eadem, quae *Cod.* ſeq. diximus. Tum vero haec leguntur: *Anno domini M°CCC° quinquageſimo ſeptimo proxima feria ſexta poſt Jacobi finitum eſt hoc opuſculum per manus eiusdem quem bene noſtis et cet. Explicit hoc totum infunde* — Carmen imperfectum, quod, ſi quid divino, definebat in *potum.*

## CCXCVII. VII. D. 14.

Codex chartaceus lat. Sec. 252
XV. Folior. 266. f. per duas Columnas nitide ſcriptus et rubricis diſtinctus olimque ad Monaſterium *Mellicenſe* O. S. B. in *Auſtria inf.* pertinens hanc praefert notam: *Hic liber inceptus eſt 2 nonas*